

In memoriam patris

Domum parentum meorum in latere collis positam tantum scalis praecipuis per hortum perveniri poterat Parentes ibi plus quadraginta annos habitaverunt. Mortuo patre mater illam domum, quae nimis erat magna, vendere constituit, et fratrem meum et me rogavit ut sibi auxilium ferremus ad domum vacuefaciendam. Scilicet libenter assensi sumus, nescientes quod munus quod munus immanis suscepturi essemus.

Etsi plus (viginti annos in illa domo habitaveram, numquam animadverteram quot libri in quattuor tabulatis illius domus inveniri possent. Obstupefacta matrem rogavi num umquam inter tot annos ab uno libro essent liberati. Suspiravit: nonnumquam se patrem rogavisse ut libros quos iam legissent tradidisset confessa est, sed eum pro pro singulis libris quos tradidisset aliquot libros novos emisse. Itane? Multas horas frater et ego capsas librorum plenas per hortum tulimus, patri toto animo male dicentes. Postea frater se me capsas tam graves ferre posse non credidisset confessus est.

Aliquid inopinatum invenimus cum cellam vacuefacere coepimus. Pater in arte chimica operam dederat, et in cella ergasterium parvum instruxerat ad experimenta chimica perficienda. Ibi armarium lagoenis et vasibus vasis variis pulveribus liquoribusque impletis plenum invenim legi poterant; aegre unam inscriptionem vix aspectabilem interpretari nobis contigit: "Cautè tractandum est". Quid nobis erat faciendum? Frater illas materias ignotas in silva defodiendas esse censuit, sed inita subductaque ratione hoc consilium destitimus. Denique illas lagoenas ad locum ubi purgamenta deiciuntur ferre constituimus, ubi materiae periculosae sunt exstinctae. Frater, cum iterum capsam materiis ignotis plenam ibi deposuit, se a custode cum diffidentia perspectum et rogatum esse ubi tantam copiam materiaram ignotarum invenisset narravit.

Altero die mater nos post cenam poculum vini offerre cupivit: in cella multae lagoenae vinorum optimorum servabantur, quas parentes inter multos annos ab amicis acceperant. Primam lagoenam aperuit: pro dolor vinum in acetum erat mutatum. Item lagoenae secundae. Incredule unam lagoenam post alteram aperuimus, sed ne una quidem vinum quod bibi posset continebat. Tot odoribus acetorum vertigine correpta consilium cepi ne umquam ullam lagoenam vini dono acceptam per plus aliquot menses servarem